

DISPUTATIO THEOLOGICA,

*De*

ANGELIS;

QUAM,

D. O. M. A.

*SUB TRESIDIO*

REVERENDI ET CLARISSIMI VI-  
RI, DN. JOANNIS PISCATORIS, SACRA-  
rum literarum in illustri Schola Nassovica Sigenensi Pro-  
fessoris ordinarii, præceptoris sui omni officiorum ge-  
nere colendi, Theologiæ & Philosophiæ studio-  
sis publicè examinandam proponit

JOHANNES PHILEMON LOVO-  
sicensus Bohemus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM

Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1606.

NOBILITATE GENERIS, ET HEROICARUM VIRTUTUM SPLEN-  
DORE ILLUSTRIBUS VIRIS,

DN. VENCESLAO BUDOVICIO DE BUDOVA in Hradis-  
stie &c. Sac. Cæs. ac Reg. Maj. Consiliario.

DN. BLASIO GRISPECIO à GRISPACH in Nelahozeves  
&c.

*Macenatibus suis summe colendis & observandis:*

NEC-NON

NOBILISS. CLARISSIMIS, DOCTIS-  
SIMISQUE VIRIS,

DN. ADAMO HUBERO à RISENPACH, D. Medicinæ & ci-  
vi Neopragensi dignissimo.

DN. JOHANNI THEODORO AB OTTENDORF, civi an-  
tiquæ Pragæ spectatissimo.

DN. DANIELI ŠKRETA ŠSOTNOUSKY à ZAVORZIEZ,  
J. U. D. peritissimo.

*Fautoribus suis multis nominibus observandis:*

SICUT ET

REVERENDIS, PIETATE ET DO-  
CTRINA PRÆSTANTISS.

DN. BARTHOLOMÆO NIEMCZANIO, Ecclesiarum Or-  
thodoxarum in Bohemia antistiti vigilantissimo.

DN. JOHANNI CRUCIGERO, Ecclesiarum Orthodoxarum  
in Moravia antistiti dignissimo.

DN. MATTHÆO KONECZNY, Ecclesiæ Orthodoxæ Pragen-  
sis Pastori fidelissimo.

*Patronis suis æternum honorandis:*

Hanc Disputationem tanquam animi grati &  
observantiæ symbolum inscribit & offert

J. P. H. Respondens & autor.

THESES PRIMAE.



Nter præcipuos Sacræ scripturæ locos, in quibus summi boni cognitio, & modus atque via ad illud perveniendi traditur, doctrina de Angelis, quam nobis præsentî tempore declarandam & illustrandam proposuimus, diligentissimè à Theologis proponi & tractari meritò solet.

II.

Etenim si utilis est consideratio operum Dei; utpote per quam ad Deum & cognoscendum & celebrandum deducimur: profectò nemo dubitare potest, quin consideratio earum creaturarum, quæ in summa perfectione, sapientia, iustitia & sanctitate conditæ sunt, sit utilissima.

III.

Quamvis autem multa & varia tam profani quàm Ecclesiastici scriptores de Angelis tradiderunt: nos tamen ea tantùm in medium proferemus, quæ ex sacra scriptura probari & firmissimis rationibus demonstrari possunt, ne ea quæ à captu nostro remota sunt, scrutari velle videamur.

IV.

Quod ut commodè à nobis præstari queat: hæc quæstiones diligenter excutiendæ erunt. I. An Angeli sint. II. Quid sint. III. Quot sint illorum genera.

V.

Ac primò quidem Angelos esse, sacra Scriptura asserit: ita ut hæc quæstio in controversiam vocari non debeat.

*Daniel. 7. v. 10. Coloss. 1. v. 16.*

VI.

Hoc posito, affirmamus Angelos esse *ὄψια μὲνα*, seu res verè subsistentes, verasque substantias; & quidem *ὄψια μὲνα νοερά*, hoc est personas.

VII.

Hanc sententiam demonstrabimus productis ex sacra Scriptura rationibus quibus illa nititur. 1. Quia illis tribuuntur in scripturis nomina, quæ non nisi personis conveniunt: cujusmodi sunt, cum di-

euntur Elohím, filii Dei, dæmones, vigiles. 2. Præditi sunt facultate intelligendi & volendi: quod ex eo probatur, quòd alii eorum lapsi, alii in veritate perstitisse dicuntur. 3. Tribuitur ipsis motus localis voluntarius, qui non nisi in personas cadit: item aliæ actiones voluntariæ: ut quòd assumptis corporibus apparuerint, variisq; modis sese hominibus manifestarint: variisq; officia, cum erga Deum, tum erga homines, & quidem erga pios & impios, exsequantur.

VIII.

Sed aliæ hinc oriuntur quæstiones: Si sunt Angeli, an sint creaturæ: & si sunt creaturæ, quando sint creati.

IX.

Quod ad primam quæstionem attinet, Angelos creaturas esse, nemo negare potest, qui unum mundi & rerum eo contentarum creatorem credit & confitetur. Quicquid autem est, id aut creator est, aut creatura. Confirmari hoc potest etiam scripturæ testimoniis, ut Psalmo 104. v. 4. Qui Angelos suos facit spiritus: & ministros suos, ignis flammam. Item Colos. 1. v. 16. Per eum (nempe Christum) condita sunt omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia: sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia, inquam, per eum & ejus respectu condita sunt. Statuimus itaque, Angelos aliunde existere, nempe à Deo suam originem habere.

X.

Alterà verò multò difficilior est quæstio, quando nimirum Angeli conditi sint. Non sunt conditi ante secula: non etiam post absolutam mundi creationem: quia Deus (ut Moses testatur) omnia opera sua sex dierum spacio absolvit, & septimo die quievit, nec unquam postea novam aliquam rerum speciem produxit. Concludimus ergo, Angelos intra spacium sex illorum dierum conditos esse.

XI.

Quoto verò die conditi sint, quamvis ex Scriptura sacra non demonstrari, probabiliter tamen ostendi potest. Quidam dicunt, die primo ante cælum & terram conditos esse, eò quòd sint creaturæ præstantissimæ. Sed hæc ratio nihil valet; quia homo, qui præstantior est beatiis, ultimo loco creatus est. Nonnulli putant, conditos esse die primo unà cum cælo: quo vocabulo non solum cælum supremum, sed etiam Angelos significari ajunt. Sed nos expositionem hanc non probamus, quia

quia per cælum & terram intelligit ibi Moses materiam quandam, quam Ethnici chaos appellarunt, ex qua singulæ mundi partes certo ordine productæ sunt. Colligitur hoc, cum ex sequentibus, ubi Moses ait, Deum secundo die cælum condidisse: quo vocabulo intelligit tres cælos, quorum scriptura meminit: & horum complexum nominat expansum: tum ex eo quod Deus ab imperfectioribus ad perfectiora progressus est. Alii putant, creatos esse quarto die unà cum corporibus cælestibus, Sole, Luna, cæterisque stellis. Sed huic opinioni repugnat locus Jobi cap. 38. v. 4. & deinceps, ubi Jehova Jobum interrogat his verbis: Ubinam eras quum fundarem terram? quis disposuit mensuras ejus? aut quis extendit in ea regulam? Cui rei bases ejus demersæ incumbunt? aut quis jecit lapidem angularem ejus? Quum canerent simul stellæ matutinæ. Et cui vociferati sunt (seu jubilarunt) omnes filii Dei? Hic per filios Dei intelliguntur Angeli: qui significantur Deum celebrasse laudibus, quum is fundaret terram. At terra, teste Mose, fundata est die tertio. Ergo si Angeli jam tum cecinerunt laudes Dei, non potest dici, creatos esse demum die quarto.

XII.

Nos statuimus, die secundo conditos esse, & quidem cum domicilio suo, videlicet cælo: nam nomine cæli, quod die secundo conditum fuit, etiam cælum illud supremum intelligitur, quod aliàs cælum tertium, Paradisus & sedes beatorum nominatur. Huc commodè referri posse videtur dictum Christi Matth. 25. v. 34. ubi dicit: Regnum illud cæleste paratum esse electis ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, à jactis fundamentis mundi. Sic enim exponendum esse censemus: quia fundamenta mundi jacta sunt die primo, cum Deus creavit chaos, ex quo chao die secundo eductum est cælum.

XIII.

Porrò si quærat, cur Moses de Angelorum creatione nullam fecerit mentionem, cum de aliarum rerum creatione disseruerit; causa hæc esse videtur, quod rudi populo scribens, ad ejus captum se accommodare, proindeque narrationem suam de rebus visibilibus, quæ in sensus externos incurrunt, instituere voluit.

XIV.

Hinc videmus, eos vehementer errare, qui Angelos nullos omnino esse credunt.

## XV.

Nec minùs errant illi, qui Angelos nihil aliud esse dicunt, quàm bonos motus sive bonas cogitationes in cordibus hominum, non autem substantias spirituales per se subsistentes.

## XVI.

Atque ita planum fecimus, & demonstravimus, Angelos omnino esse, ita ut nemo id in dubium vocare debeat, nisi sacræ Scripturæ repugnare, & in luce meridiana cæcutire velit.

## XVII.

Jam ad secundam quæstionem accedemus, & quid sint Angeli, explicabimus.

## XVIII.

Angeli sunt spiritus creati, à corporibus liberi, Dei creatoris ministri.

## XIX.

In hac definitione probè notandum ipsum nomen Angelorum, & qua ratione ita appellentur.

## XX.

Angelus nomen officii Græcum est, & τὸ ἀγγέλλειν, quod est nuntiare, vel nuntium adferre; ita ut Angelus nuntium sive legatum significet.

## XXI.

Nomen hoc tribuitur 1. Christo, propter excellentiam muneris, ad quod fungendum missus est in mundum hunc, ut scilicet nuntiaret nobis voluntatem patris sui de salute nostra. Gen. 48. v. 16. Angelus ille qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis. Malach. 3. v. 1. Repentè veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis: & Angelus federis quo vos delectamini, ecce venturus est, ait Jehova exercituum. 2. Tribuitur spiritibus ministris: quia à Deo mittuntur ut mandata ejus, præsertim apud homines, exsequantur, eisq; aliquid singulare annuntient. Hebr. 1. v. 14. Nonne omnes (scilicet Angeli) sunt ministerii munere fungentes spiritus, qui ministerii causâ mittuntur propter eos qui hæredes futuri sunt salutis. 3. Tribuitur doctoribus Ecclesiæ, qui sunt legati Dei, verbum ejus in Ecclesia nuntiantes, Malach. 3. v. 1. Ecce ego missurus sum Angelum meum qui expediat viam meam. Hic per Angelum intelligitur Johannes Baptista, præcursor

præcurſor Chriſti, ut ipſe Chriſtus explicat apud Matthæum cap. 11.  
v. 10. Et Malach. 2. v. 3. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem  
requirunt ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. 4. Tri-  
buitur hoc nomen etiam cæcodæmonibus: vel eo reſpectu, quod ipſi  
olim in bonorum Angelorum numero fuerunt: vel quod Deus utatur  
eis tanquam miniſtris, per quos exſequitur judicia ſua, & homines ca-  
ſtigat. 2. Petri 2. v. 4. Deus Angelis qui peccaverant, non pepercit. Di-  
cuntur autem hi propriè angeli diaboli ſive Satanæ: ut videre eſt  
Matth. 25. v. 41. & 2. ad Corinth. 12. v. 7.

XXII.

Natura autem Angelorum indicatur vocabulo Spiritus: Sunt  
enim ſubſtantia incorporea, ac proinde inviſibiles. Quum autem ani-  
mæ quoque humanæ ſpiritus ſint, ad diſcrimen in definitione additur,  
quod angeli ſint à corporibus liberi. Quamvis enim corpora inter-  
dum aſſumant, in iſis; appareant, ut poſtea dicitur: tamen corpora illa  
non ſunt Angelorum partes, ſed adjuncta.

XXIII.

Hinc elicitur, Angelos, ſi conſiderentur relativè, reſpectu ſcilicet  
aliarum ſubſtantiarum, quæ ex materia corporali crassa & aſpectabili  
constant, eſſe ſubſtantias ſimplices. Si verò conſiderentur abſolutè:  
ſunt compoſitæ ſubſtantia, primò ex actu & potentia: cum actu ſint id  
quod ſunt; & poſſint eſſe id quod actu non ſunt, ſeu deſinere id eſſe  
quod actu ſunt. Deinde ex ſubjecto & accidente inhærente: cum aliud  
ſit id, quod accipit accidens inhærens: aliud id quod accipitur.

XXIV.

Expeditivimus itaque & ſecundam quæſtionem, diſcernimus; ha-  
ctenus de Angelis in genere: jam in ſpecie dicendum eſt, quod tertia à  
nobis propoſita quæſtio flagitat.

XXV.

Angelorum alii ſunt boni, alii mali.

XXVI.

Angeli boni ſunt, qui in integritate, in qua ſunt creati, perſiſterunt.

XXVII.

Integritas illa, quæ de Angelis prædicatur, nihil aliud eſt quàm  
ſtatus ille priſtinus quem Angeli retinent, & tales manent quales creati  
ſunt, nimirum ſapientes, boni, ſancti, & juſti.

## XXVIII.

Hic multa nobis occurrunt de Angelis, quæ scitu necessaria sunt: verùm antequam nos ad alia convertamus, causas indicabimus, cur, aliis à veritate deficientibus, illi in veritate persisterint.

## XXIX.

Propinqua causa est, bona ipsa Angelorum voluntas, quam à Deo ex creatione acceperunt: quâq; voluerunt in veritate perseverare. Cæterùm nisi voluntas eorum bona à divina gratia & virtute fuisset adjuta, vix in veritate persistere potuissent. Illi enim quibus hæc gratia communicata non fuit, in veritate perseverare noluerunt, sed ab ea deflexerunt, & sanctitate sua exciderunt. Itaque gratia divina est altera & quidem media causa perseverantiæ Angelorum in veritate. Principalis verò causa est firmum & immutabile Dei decretum, consilium & beneplacitum, quo hos ad æternam vitæ æternæ beatitudinem elegit & prædestinavit: alios verò pro justitia sua inscrutabili ad æternam damnationem destinavit *b*.

*a* 1. *Timoth.* 5. v. 21. *b* *Matth.* 25. v. 41.

## XXX.

Quæri hinc possunt duo. 1. An Angelis liberum arbitriũ sit concedendum: siquidem ita jam sunt confirmati in bono, ut peccare amplius non possint. Deinde an possint mutari. Ad primum respondetur: Etiam si Angeli ita confirmati sunt in bono ut peccare amplius non possint; tamen liberum arbitrium illis nullo modo adimendum est. Nam si consideretur, quòd quicquid agunt, liberè ac sponte, atq; adeò alacriter agunt: manifestum erit, eos nunc etiam liberiores esse quàm antea. Ad secundum responderi potest: Angelos naturà mutabiles esse, & inclinari posse tam ad malum quàm ad bonum, & interire posse: gratiã tamen & virtute divinã fieri, ut corruptioni obnoxii non sint. Solus Deus ita immutabilis est, ut mutari & interire non possit.

## XXXI.

Porro ad pleniorẽ doctrinam de Angelis, considerabimus eorum nomina & numerum, affectiones & officia.

## XXXII.

Variis appellantur nominibus. Dicuntur *a* Spiritus à natura. Sunt enim substantiæ spirituales, molis corporeæ expertes. Stellæ matutinæ *b* ab adjuncto, quia sunt naturæ lucidissimæ, splendidissimæ, præstantissimæ.



tissima. Item filii Dei *e* à præstantia, quatenus divinam experiuntur gratiam, qua in æternum fruuntur. Observandum hîc, nos diversâ ratione appellari filios Dei, quatenus nempe per filium Dei redempti, & in filios per eundem à Deo adoptati sumus *d*. Angelorum verò alia est ratio. Illi enim quia à principio creationis in veritate persisterunt, faciem Patris cælestis intuentur perpetuò *e*. Nominantur etiam Cherubim *f*: eò quòd per Cherubos, id est, imagines humanas alatas in sacro illo tabernaculo, & postea in templo Salomonis, fuerunt repræsentati. Item Seraphim, ab urendo: vel quia igneâ formâ sunt conspecti, vel quia sunt ministri iræ Dei, quæ est ignis consumens. Dicuntur etiam vigiles *g*: quia excubias agunt pro electis. Item flammæ ignis *h*; item throni, dominatus, principatus, potestates & potentia: *i*: quia eorum ministerio utitur Deus in gubernando mundo.

*a* Hebr. 1. v. 14. *b* Job. 38. v. 7. *c* Ibid. *d* Eph. 1. v. 5. 6. & 7. *e* Matth. 18. v. 10. *f* Gen. 3. v. ult. *g* Dan. 4. v. 10. 14. & 20. *h* Psal. 104. v. 4. Hebr. 1. v. 7. *i* Ephes. 1. v. 21. Col. 1. v. 16.

XXXIII.

Numerus bonorum Angelorum maximus est: veruntamen in scriptura non definitus.

XXXIV.

Incidit hîc questio, utrum Angeli sint distincti ordinibus? Quamvis Sacra scriptura nominat Angelos, Archangelos, Potentias, Potestates, Principatus, Dominatus, Thronos, Cherubim atq; Seraphim: hinc tamen non possunt certi angelorum ordines constitui. Et curiosum est in arcana illa inquirere.

XXXV.

Ostendimus, quæ sint Angelorum nomina & numerus: jam de affectionibus dicendum est, & primùm quidem de internis, postea de externis.

XXXVI.

Quod ad internas affectiones attinet, hæ sunt: Sapientia, sanctitas & felicitas. Sunt enim conditi sapientes, sancti & felices.

XXXVII.

Sapientes: quia intelligunt bonum & malum, cognoscunt etiam singularia & universalia, præterita, præsentia & futura.

## XXXVIII.

Cognitio in Angelis est triplex. 1. Naturalis, concepta ex creatione. 2. Acquisita per experientiam seu per observationem eorum quæ fiunt. 3. Donata per revelationem.

## XXXIX.

Notitia in Angelis est finita: non enim omnia sciunt. Solius Dei proprium est, omnia scire. Tenendum & hoc, Angelos arcanas nostras cogitationes per seipsos cognoscere non posse: (solus enim Deus est *καὶ οὐκ ἴσθης*) ideoq; ignorare illas, nisi ex à Deo ipsis revelentur, vel per signa externa sese prodant. Item Angeli non possunt sine peculiari Dei revelatione cognoscere futura.

## XL.

Sanctitas Angelorum est, quâ iusti sunt coram Deo & puri, ac proinde digni, qui Deo perpetuò adsint, assistant, eumq; celebrent.

## XLI.

Illa sanctitas utut magna in Angelis, cum Dei sanctitate neutiquam conferri potest.

## XLII.

Felicitas Angelorum est talis, quòd in cælis habitant, omnium miseriarum & calamitatum expertes, gratiâ & bonitate Dei assidue fruuntur.

## XLIII.

Ad affectiones Angelorum internas pertinent etiam affectus, ut amor *a*, gaudium *b*, seu lætitia, odium & tristitia: quæ tribuuntur Angelis non humano more, sed spirituali, & quidem sine vitio.

*a Dan. 10. v. 11. b Luc. 15. v. 10.*

## XLIV.

Externæ affectiones sunt, apparitiones, assumptio corporum, motus & locutio.

## XLV.

Apparuerunt Angeli hominibus aliquid nunciaturi, variis modis. Interdum vigilantibus: ut Abrahamo *a*, mulieribus quærentibus Christum in sepulchro *b*. Interdum in somno: ut Josepho *c*. Nonnunquam in visione: ut Prophetis *d*. Idq; vel assumptis corporibus, vel assumptâ aliquâ corporeâ figurâ.

*a Gen. 18. b Matth. 28. Marc. 16. Joan. 20. c Matth. 1. v. 20. d Esâ. 6. Ezech. 1. Apoc. 1.*

Porro.

XLVI.

Porro corpora illa quæ Angeli assumerunt, non fuerunt ficta aut phantastica, sed vera atque naturalia (siquidem Angeli narrantur comeditisse & bibisse:) non ab Angelis formata, sed à Deo creata, quæ tanquam vestes sumserunt & deposuerunt: ipsaq; corpora post ministerium peractum, vel in nihilum redacta, vel in materiam suam resoluta fuerunt.

XLVII.

Quod ad motum attinet: siquidem finiti sunt & loco comprehenduntur: necesse est, cum de eis dicitur quòd loco moventur, id intelligi verè fieri. In quo quidem sunt expediti & celeres, ut opera sua subito perficiant. Quum corpora assumunt, corporibus illis moventur.

XLVIII.

Postremò sciendum est, quòd unus idemq; Angelus a pluribus in locis simul esse non possit; quia finiti sunt: contra plures Angeli in uno eodemq; loco possunt esse; quia nõ complent locum in quo existunt. Sunt enim à magnitudine extensiva immunes.

a Vide Dan. 10. v. 12. & 13. b Vide Marc. 5. v. 9.

XLIX.

Qua verò locutione Angeli utantur, exprimere non possumus: eos tamen non corporeâ locutione uti, sed spiritali, ita ut inter se sua sensa sine voce & strepitu communicent, omnino videtur esse statuentum.

L.

Atque hæc de affectionibus Angelorum: nunc de officiis pauca addemus.

LI.

Angelorum officia sunt duplicia: quædam erga Deum, alia erga homines.

LII.

Erga Deum, servire ei, id est, ejus voluntatem a facere, & celebrare eundem summis laudibus.

a Psal. 103. v. 20. & 21. Matth. 6. v. 10. b Esa. 6. v. 3. Apoc. 5. v. 12. & 14.

LIII.

Erga homines officia, alia sunt erga pios, alia erga impios.

LIV.

Erga pios officium Angelorum est *a*, custodire eos, & defendere ab omnibus periculis vitam eorum: item *b* docere eos, mysteriaq; salutis eis revelare: item mentibus piorum pias cogitationes *c* suggerere, ad omne bonum eos *d* excitare, juvare *e*, & fin in ipso mortis agone præsidio esse, eorumq; animas in sedem beatorum *g* deferre.

*a* P<sup>sal.</sup> 34. v. 8. P<sup>sal.</sup> 91. v. 11. 12. Gen. 19. v. 10. Gen. 32. v. 1. 2. Reg. 6. v. 16. Dan. 3. v. 25. Dan. 6. v. 23. *b* Dan. 10. v. 14. & deinceps. Luc. 1. v. 13. & seqq. Item v. 28. & deinceps. Matth. 1. v. 20. & c. Luc. 2. v. 9. & c. Matth. 2. v. 19. & seqq. *c* Argumento narrationis de spiritu qui pellexit Achabum, 1. Reg. 22. v. 23. *d* Gen. 19. v. 15. Apoc. 19. v. 10. & cap. 22. v. 8. & 9. *e* Dan. 10. v. 10. *f* Dan. 10. v. 12. *g* Luc. 16. v. 22.

LV.

Erga malos: punire ipsos, & judicia Dei in illis exsequi.

Gen. 19. v. 13. 2. Reg. 19. v. 35. Act. 12. v. 23.

LVI.

In his officiis administrandis Deus utitur Angelorum operâ, non ex necessitate, sed propter gloriam suam: ut se eorum dominum esse declaret, qui iis habeat imperare: & in honorem Angelorum: itemq; ut infirmitati nostrâ consulat, animosq; nostros ad se erigat, ut non in externis præsidii acquiescamus, sed ab ipso nobis salutem, & quæ ad eam promovendam faciunt, per media concedi discamus.

LVII.

U<sup>sus</sup> hujus doctrinæ multiplex est. 1. Ut agnoscamus summam erga nos Dei benevolentiam & paternam curam: qui nostrâ infirmitatis rationem habens, sanctos Angelos nobis custodes fieri voluit. Deus haud aliter agit ac paterfamilias domi suæ, ubi filii adultiores jussu ejus custodiunt infantes in cunis vagientes. 2. Ut gratias agamus ei, quod nobilissimas creaturas destinavit nobis in ministros. 3. Ut caveamus nobis, ne peccatis nostris eos offendamus: sed potius in his nos maximè exerceamus quibus eos novimus oblectari, puta in omnibus virtutibus Christianis.

LVIII.

Hæc de Angelis bonis: restat, ut de Angelis quoque malis disseramus.

LIX.

Angeli mali sunt infernales spiritus, qui à Deo defecerunt.

Conditii

## LX.

Conditi sunt boni, quia Deus omnia bona fecerat: mali autem facti sunt ex rebellione & superbia contra Deum, quia voluerunt esse pares personis divinis: ut percipitur ex Gen. 3. v. 5.

## LXI.

Peccatum Diaboli gravius fuit, quàm hominum: quia illi à nemine inducti, Deo restiterunt, atq; in super hominibus peccandi auctores fuerunt. Unde iusto Dei iudicio dignitatem illam quam antea habuerunt, nunquam sunt recuperaturi. Nam non solùm intellectus eorum est depravatus, sed etiam voluntas ita in peccato obstinata, ut à malo resipiscere & servari non possint.

## LXII.

Itaque malè Origines: qui existimavit, malos spiritus aliquando servandos: contra sententiam Christi Matthæi 25. v. 41.

## LXIII.

Porro ad pleniorẽ hujus doctrinæ declarationem, eodem ordine procedemus in hac explicatione ut suprâ: & Angelorum malorum considerabimus 1. nomina & numerum. 2. affectiones & studia.

## LXIV.

Nomina malorum Angelorum sunt varia. Vocantur spiritus, à Natura. Angeli ab officio, quod ipsis erat cum bonis commune. Dæmonia, à singulari rerum occultarum scientia: quippe quam longâ sibi compararunt experientiâ. Princeps eorum dicitur Satan, quod sit Dei & filiorum Dei adversarius. Item Beelzebub, Dominus muscarû, quod olim apud Ekronitas abigeret muscas, ac muscæ figuram haberet. Item *ὁ καλῶν*, id est calumniator, eò quod verba & facta Dei ac filiorum Dei calumniatur. Item tentator, eò quod filios Dei tentare solet, conando eos avertere à Deo, & in exitium præcipites dare. Item *ὁ πονηρὸς*, id est, malignus ille seu nequam: quia fidelibus malitiosè ac nequiter negotium faceffit. Item Princeps mundi, & Deus hujus seculi: quia regit impios. Item Draco magnus, & serpens antiquus, eò quod per serpentem decepit Evam. Item Belial, id est nequam.

## LXV.

Angelorum malorum magnus est numerus, ut Luc. 8. v. 30. fit mentio legionis dæmoniorum, quæ hominem occupaverat.

## LXVI.

Cæterùm hîc monendum est aliquid de loco. Habitarunt ante defectionem suam in supremo cælo, quod ex Epist. Judæ *ψ. 6.* probari potest: ubi dicit, quòd reliquerint domicilium suum. Jam verò non amplius manent in cælo, sed dejecti sunt in tartarum. 2. Petri 2. *ψ. 4.* Inde permisso Dei egressi sunt in aërem. Quod etsi in sacra Scriptura expressè non dicitur, tamen ex iis quæ de eorum actionibus narrantur, facilè concluditur. Quum enim & in tartarum dejecti esse, & tamen in terra atque aëre degere, hominesq; tentare & vexare dicantur: necesse est statuere, illos è tartaro dimissos esse: quum sint substantiæ finitæ, ac proinde non possint simul esse in duobus locis. Probatum hoc ex Jobi cap. 1. *ψ. 7.* ubi dicit Satan, se perambulavisse terram. Item Matthæi cap. 8. Vide etiam Matth. 4. *ψ. 3.* Eph. 2. *ψ. 2.* & cap. 6. *ψ. 12.*

## LXVII.

Jam videamus affectiones malorum Angelorum: quæ & ipsæ dividuntur in internas & externas.

## LXVIII.

Internæ sunt: Versutia, Voluntas prava, & Potentia.

## LXIX.

Versutiam dicimus eam, cujus vi excogitare solent mille technas contra gloriam Dei & salutem hominum.

## LXX.

Voluntas prava est, quòd oderunt bona, mala autem amant.

## LXXI.

Potentia malorum Angelorum etsi magna est: tamen nihil possunt efficere, nisi quod Deus eis mandat vel permittit. Mandavit Deus 1. Reg. 22. spiritui malo, ut pelliceret Achabum. Permisit ei ut Jobum affligeret. Non permittit tamen ut piis exitium afferant.

*Vide caput Job. 10. v. 28. & seqq.*

## LXXII.

Hinc videmus, Diabolum nonnulla corpora humana obsidere, & in iis potestatem ac tyrannidem suam exercere.

## LXXIII.

Cæterùm, ut id, quod de potentia Satanæ dictum est, meliùs intelligatur, hanc quæstionem excutiemus, utrum Diabolus possit edere miracula? Distinguendum est hîc inter miracula vera & falsa. Vera miracula

racula sunt, quæ præter seu supra ordinem naturæ fiunt virtute Dei ad veritatis confirmationem, & gloriæ divinæ illustrationem. Falsa miracula sunt, quæ fiunt ad deludendos, decipiendos & terrendos homines: & quæ reipsâ miracula non sunt, sed solùm mendacia & præstigiâ, quibus diabolus homines fallit.

LXXIV.

Hinc videmus, quid de spectris & tumultibus nocturnis statuendum sit, nimirum illorum autores esse malos spiritus, quippe qui homines deludere, à cultu Dei abstrahere, & ad superstitionem perducere volunt.

LXXV.

Insuper hinc videre possumus, Diabolum non posse excitare vel ventos, vel pluvias, vel tempestates; pro suo arbitrio & lubitu.

LXXVI.

Similiter judicandum est de præscientia rerum futurarum, eam malis angelis nequaquam competere: nisi quatenus à Deo per verbum revelatæ sunt.

LXXVII.

Externæ affectiones malorum Angelorum sunt, quòd transformant sese in varias res, & præstigiis fallunt sensus hominis exteriores & interiores: dum eis obijciunt ea quæ aliquid esse videntur, cum tantùm sint ficta & apparentia.

LXXVIII.

Studia malorum Angelorum sunt varia & pessima. Nam quotidie nos ad peccandum sollicitant, ut nos damnationi æternæ obnoxios reddant. Extinguunt in cordibus semen verbi Dei, occasiones ad peccata faciendâ præbent, hæreses excitant, pios tentant, iisq; adversantur. Omnia perturbant, nihil intentatum relinquunt, quod ad perniciem hominum vergere potest. Non desinunt deceptionum laqueos ubiq; tendere, & ut quoquo modo hominum mentes corrumpant, instare. Norunt, ut ingeniorum diligentes scrutatores, cui adhibeant æstus libidinis, cui illecebras gulæ ingerant, cui apponant incitamenta luxuriæ, cui infundant virus invidiæ. Norunt quem mœrore conturbent, quem fallant gaudio, quem metu opprimant, quem admiratione seducant. Omnium discutiunt consuetudinem, ventilant curas, scrutan-

tur affectus, & ibi causas quærunt nocendi, ubi quemq; viderint studioſius occupari.

LXXIX.

Uſus doctrinæ hujus eſt. 1. Ut oremus Deum, ne nos inducat in tentationem: nam imbecilliores ſumus, quàm ut his ſpiritibus reſiſtere valeamus. 2. Ut ſoliciti ſimus de armatura, quâ induti, hoſtibus his inſenſiſſimis nos opponere eoſq; vincere queamus. Sunt autem arma noſtra, verbum Dei, fides, obedientia, preces, de quibus lege Ephel. 6. v. 13. & deinceps.

LXXX.

Cæterùm de victoria contra malos angelos obtinenda confirmat nos victoria Chriſti, qui Diabolum devicit, ejuſq; caput conculcavit. Et eſt noſter dux, qui virtute ſuâ nos provehit, defendit ac tuetur. 2. Promiſſio Dei, quâ promittit iis, qui ſe ſtrenuè geſſerint, & hoſtem vicerint, coronam vitæ æternæ. 3. Gratia Dei, quâ nobis ſemper præſto eſt, quâq; bonis Angelis mandat, ut circa nos caſtra metentur, ut nos manibus ſuis geſtent, & adverſus ſpirituales illas malitias tutos & ſecuros præſtent. Ergo quis contra nos erit, ſi pro nobis eſt Deus? Cui ſoli ſit omnis laus

& gloria. Amen.





AD JOHANNEM PHILEMONEM.



*Harus erat Paulo, clarus pietate Philemon:  
Viscera sanctorum nam recreabat amans.  
Tu quoq, fac clarus fias pietate, Philemon:  
Et cunctis sanctis tu quoq, charus eris.*

JOHANNES PISCATOR.

AD JUVENEM ORNATISSIMUM DOCTRI-  
NA ET PIETATE, D. JOHANNEM PHILEMONEM,  
auditorem & amicum charissimum, MATTHIÆ  
MARTINII *αεεσφώνσις.*

**Q**uise non novit homo, quid nosse putetur,  
Absq, sui noscens cognitione nihil?

Per reliquas mundi partes que sparsa videmus,  
Omnia complexu continet ille suo.

Est homo, cum saxis; vivit cum stirpibus idem,

Cum bruto pecudum corpore sentit homo,

Mentibus Angelicis par fermè intelligit, alta

Et ratione poli sidera scandit hæc.

His de, quam profers, meditatio docta, Philemon,

Doctrina indicium dat studiū, tui.

Sic sic es sapiens, quum temet noveris ipsum,

Collatisq, aliis, noveris inde Deum:

Inq, creatoris quum vertas omnia laudem,

Es pius, ac hominis perficis officium.

Hisce bonis repleat Christi te gratia larga,

Ut patria dici promereare decus.

Sigenæ Naslov. 1606.

5. Novembr.

C

IN ANGELOGRAPHIAM  
PIE DOCTI ET DOCTE PII JUVENIS.

D. JOHANNIS PHILEMONIS, AMICI SUI INTIMI,

hoc carmen composuit JOHANNES VETTERUS.

Leucopolites Moravus.

**I**ane viri sancti, qui nomen adeptus es, omen:  
Tibi competit Philemonis.  
Tu nobis etenim pandis mysteria, vitæ  
Vigilesq; nostra enucleas.  
Naturam angelicam declaras, munus & horum  
Ames quod hosce comprobas.  
Quam tibi dulce DEI speculari facta stupenda,  
Geniosq; noscere flammeos!  
Dulcius at nobis miseris contingere quicquam:  
Nequit, hisce quam custodibus  
Nos duci, ferri, defendi, saepe moneri,  
Ne nos Satan deglutiat:  
Cum quibus in calis est nostra futura voluptas  
Et gaudium longissimum.  
Gratulor ergo tibi semper, dilecte Philemon,  
Studii quod hisce gaudeas.  
Et precor, ut possis vitam traducere & alovæ,  
Angelica qualis semper est:  
Sic potes esse Deo gratus, mihi crede, PHILEMON;  
Sperare magnaq; premia:  
Civis eris cali, non amplius incola terra,  
Ubi genuisti sapius.  
Permixtus genii Dominum celebrabis, ut unum  
Patrem fideles filii.

ALIUD.

**H**unc felicem hominem, quod si mihi dicere fas est,  
Assiduis oculis qui cali sidera cernit,  
Vel contemplatur vastissima climata mundi:  
Te magis hic laudem, te terq; quaterq; beatum

Disam.

Dicam, Philemon, quod summis nixibus illud  
 Jam scrutaris opus Domini qui sidera torquet:  
 Angelicos coetus, Jove qui jussa sequuntur,  
 Quis, hominum nunquam cessant curare salutem.  
 Dic mihi, quis reprimet rabiosos demonis astus  
 Adversus cætum precioso sanguine Christi  
 Faucibus è Satana ac aeterna morte redemptum?  
 Aut quis in adversis tutabitur? Hoc facit ille,  
 Omnia qui nutu moderatur sidera solo,  
 Servitio angelico quod fert solatia pressis.  
 Perge probare tuum sanctæ pietatis amorem,  
 Facta Dei summi mirare, ac inde tuorum  
 Quem jam cæpisti studiorum dirige cursum:  
 Sic Ecclesiolæ Christi patriæq; decorus,  
 Omnibus atq; piis poteris jucundus haberi.

Lubens meritoq; apposuit  
 THOMAS DUBINUS  
 Mez. Moravus.



[C] [R]

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Lubens manod: appolus  
THOMAS DUBINUS  
Lias. Moxvus





the scale towards document

llud  
quet:

salutem.  
estus

aptum.  
lle,

em,

m:

ubens meritoq; apposuit

THOMAS DUBINUS  
Mez. Moravus.



[C]

[P]